


sepeliebatur. Ex collatione ergo imperii Romani tempore libertatis in religione concessæ & coactionis introductæ patebit: tempora libertatis Romanæ felicitati: tempora autem coactionis subsequentibus malis & Reipubl. decrementis originem dedisse.

### §. XVIII.

Regnum Turcicum diversitate religionum præ aliis regionibus abundat: sedem suam ibidem habent Gentiles Idololatræ, Persæ, Judæi, Georgiani, Circassii, Men-grelii, Cophtitæ, Abyssini, Armenii, Maronitæ, Melchitæ, Jacobitæ, Nestoriani, Græci, Moscovitæ, Lutherani, Reformati, Sociniani & Papicolaæ & alii vix nomine noti. Hi omnes suam religionem servant: *Turca quippe, pasto tributo contentus, modo Mahomedana Sectæ non contradicant, libertatem religionis permittit*, scribit Breretodus in scrutinio Religion. pag. 5. Hinc fidem Christianam profiteri tutò licet Vid. Hottingerus lib. 2. Hist Orient. cap. 2. Meinorabile est, qvod de Turcarum Imperatore Solimanno ex Leuenclajo Camerarius refert, cum talia protulisse: *Quemadmodum varietas herbarum non solum nihil obest, sed mirifice oculos & sensus recreat, sic in imperio meo diversa fides & religio potius usui est, quam oneri, modo pacare vivant*, Part. I. Succis. Cap. 58. Qvamvis ergo hæc tolerantia diversissimarum religionum in Imperio Turcico obtineat, ex ea tamen illud non coarctatur, sed manet amplissimum & per tres mundi dispersum partes. Coarctaretur autem qvam maxime si Imperator Turcicus harum religionum aut expulsionem aut violentam coactionem meditaretur, qvalem coarctationem & qvam plurima incomoda ex hac ad religionem coactione rebus publicis qvondam florentissimis obtigisse superius perceperimus. Præstat ergo si in Republ. una vigeat religio, illam conservare puram, & ne aliæ radices figant, permittere; si vero plures jam receptæ sint & fixæ hæreant, illas tolerare qvam violentâ coactione Reipubl. Sanitatem & prosperitatem certissimo periculo subjicere.

## T A N T U M.



Coll. diss. A. 40, misc. 60